

810.





# Contenta.

277

1. Job. Eckhardi Observationes philologicae ex Aristophanis Pluto dictioni N. F. illustrandae inferentes.
2. Christoph. Wollii Diss. de eo, quod sublime est in his Moësis verbis: יְשַׁעְיָא עִיר, ad Longin. nec. IV. 85.
3. Just. Godofr. Guntzi Diss. de Saedixlar in sacris Aesculapii.
4. Sal. Deylingii Eusebianum doctrinae saluifica Systema. (fide.)
5. Christian. Gottlieb Clugii Diss. de usu formulae, qua interrogamus infantes ante sacram lotionem de  
6. Io. Casp. Haferungii Progr. de baptismo typico.
7. Io. Georg. Waltheri Diss. de baptismo Christum induente.
8. Eiusd. Historia paedobaptismi quatuor priorum seculorum.
9. ——— Progr. Tempus aduentus messis idoneum.
10. ——— Controversia de peccato originis.
11. ——— Historia doctrinae de peccato originis a Plinio representata.
12. Frid. Andr. Hallbaueri Pristina christiana rei facies a Plinio representata.
13. Io. Andr. Dampii Diss. de filia vocis, nefanda diuina emula.
14. Io. Christian. Hebersteinii Diss. de discrepantia et consensu psalmi XLIX. et II. Sam. XXII.
15. Eiusd. Diss. de sacrificio a periuero offerendo, ex leuit. V. 20-26.
16. ——— de Isaiæ cap. XLIII. comm. 19. non diuellendo.
17. Christian. Sigism. Georgii Diss. de peregrinis idiotismis ob causas et effectus suos in sermone  
18. Car. Gottlob Sperbachii Observationes philologicae in nonnulla pentateuchi loca a trans-  
latore Weatheimensi corrupta.
19. Georg. Lang. Gottlieb Heßii Observationes similes,  
Hebr. Doloffi Diss. qua Iudaei de Dieu aphorismos theologicos falsos et erroneos repudat.
20. Car. Hebr. Zeibichii Diss. de qua quaedam N. F. ex versione hysica illustrans.
21. Ioach. Kladen de lingua domini nostri Iesu Christi gloriosa, ad I. Cor. XV. 22-23.
22. Gustav. Georg. Zeltneri Diss. de subiectione Iesu Christi gloriosa, ad I. Cor. XV. 22-23.
23. Christian. Gottl. Joeheri Thome Woodstoni de miraculis Christi paralogismorum examen.
24. Christian. Gottl. Joeheri Thome Woodstoni de miraculis Christi paralogismorum examen.
25. Hebr. Hilaufing Progr. de gradibus academicis.
26. Eiusd. Animaduersiones de מורה נבוכים ad gen. XII. 67.
27. Io. Vorstii Diatriba de adajis N. F.
28. Io. Casp. Haferungii Diss. de Bileamo incantatore et propheta periodico.
29. Io. Paschii Gryphus rabbinico-philologicus de schem hammechorjch.
30. Christian. Weisii Systema psalmonum metricum a cel. Anglo Franc. Hare nuper adornatum.
31. Adam. Grenzii Lucubratio theologica in locum Ioh. VII. 48. 49.
32. Christian. Gottl. Frid. Wolfii Schediasma de diuortio Iudaeorum, ad Math. XIX. 8. 9.
33. Io. Gottlieb Bosseckii Memoria ex aucto, ad I. Reg. X. 1. 199.
34. Io. Andr. Schmidii Diss. de regina ex aucto, ad I. Reg. X. 1. 199.
35. Eiusd. de elingatis mysterium trinitatis predicantibus.
36. Christian. Ern. Schmidii Diss. de promotione academica Iesu eiusq. angelis peperam tributa.
37. Ern. Reuschii Progr. Hymnus angolicus ex historia rituum Iacorum illustrat.
38. Christian. Bened. Michaelis Progr. de Christo filio hominis.
39. Christian. Bened. Michaelis Progr. de Christo filio hominis.
40. Eiusd. Oratio de Daniela, laudabili exemplo typos, triennis academici.
41. Io. Guil. Langii et Don. Gottlieb Krügeri Epistola de iure vite ac necis, ad exod. XXI. 20. 21.
42. C. B. Michaelis Diss. de duali aucto purgationis leprosi destinatis, eamundemq. mysterio, ad  
43. Io. Georg. Leuid. XIV. 1-8.



## LVCVBRATIONEM THEOLOGICAM

IN LOCVM IOH. VII. COMM. 48. 49.

INSTITVIT

ET

VIRO

PLVRIMVM REVERENDO, AMPLISSIMO  
ATQVE DOCTISSIMO

DOMINO

M. CHRISTIANO WEISIO

AD AEDEM NICOLAI, QVAE LIPSIAE EST, DIACONO

CVM IPSI

DIE XXVI. AVGVSTI MDCCCXXXIX.

MENSE, OB REFORMATIONIS MEMORIAM

ALTERO SECVLO EXACTO

ACADEMIAE LIPSIENSI

SINGVLARITER SOLENNI

L I C E N T I A

AD SVMMVM THEOLOGIDOCUTORIS GRADVM

A D S C E N D E N D I

A

SVMME VENERANDO THEOLOGORVM

O R D I N E

EX MERITO CONCEDERETVR

EX AFFINITATIS CONIUNCTIONE

G R A T V L A T V R

M. ADAMVS GRENZIVS

DRESDAE AD AEDEM CRVCIS DIACONVS

SOPHIAE H. T. CONCION.

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIANA.



INVESTITIO THEOLOGICA

IN LOCOM IUSTI COM. 48. 49.

INSTITUTIO

VIRI

FRANCOFRONDISI, ANTISSIMO

ATQUE DOCTISSIMO

DOMINO

M. CHRISTIANO WEISIO

AD ABDEM NIGOLAI GVALERISIAE EST. DE OMNIO

CAM. IPSI

DE XIV. ANO. STI. CLAUDI XXXII.

MENSE. OT. REFORMATIONIS. MEMORIAM

ACADEMIAE LIPSIENSIS

SINGVLARTER. SOLEN.

L I C E N T I A

AD SVMMVM THEOLOGICVM GRADVM

AD. S. S. S. S. S.

SVMMVM VENERANDO THEOLOGORVM

CONGREGATIONE

EX AFFINITATIS CONIUNCTIONE

M. ADAMVS GRENIVS

PRAEF. AD ABDEM. GVALERISIAE. EST. DE. OMNIO.

SOLEN. IN. S. S. S. S. S.

L I P S I A E

EX. OFFICIO. LIPSIENSIS.

27





## VIR PLVRIMVM REVERENDE,



Quanto in *TE* animi cultu non ferri, sed me totum rapi sentiam, ex quo haud ita pridem *TVAM* humanitatem cum solidissima coniunctam eruditione experiri mihi licuit, aegre adhuc conticui, veritus, ne aures *TVAS*, ad laudes etiam meritiſſimas nimis ſurdas, offendere velle crederer. Nunc vero amplius mihi temperare nequeo, quin pro virili praestem, quod animus meus, ex merito, in *TE* propensus, atque praesens occasio, qua nouo honore ornaris, exposcit, *TVA* nunc minus impeditus modestia; cum subleuer publico summorum Virorum consensu, atque eruditionis in *TE* probatiſſimae testimonio. Interim cum mihi amicitiae conseruandae summa lex sit, *TIBI* placere, parciore in *TE* laudando esse malo, quam quidem *TVA* postulabat dignitas, ne vel speciem praebeam, ac si *TIBI* displicere nullus curarem. Pagellas itaque has meditationibus quibusdam sacris dicare, *TVO*que iudicio submittere, nec *TIBI* ingratum, nec me indignum fore arbitror.

Academia *TE* nouis mactat honoribus, idque eo ipso tempore, quo pia gaudia gratesque meditatur, emenso iterum ſeculari annorum decursu, ex quo se puriore Euangelii doctrina donatam reminiscitur. Gaudia isthaec solenniora reddere sapientissime statuit *Venerandus Theologorum Ordo* in scenam producens Viros, dignos, quibus cura Ecclesiae committatur, quique eo nomine publicis honestentur ceremoniis. *TIBI* itaque, *OPTIME WEISI*, reliquisque, quos in vinea domini, quae Lipsiae colitur, habes Symmyſtas, et nunc honorum socios, gratulari, est applaudere vniuersae, nunc in sacros plausus effusae, academiae, cuius cum et ego quondam filius extiterim, tripudiente matre non excitari, nefas esse duxi.

Incidit quidem in locum plausibus academiae nunc veram Euangelii doctrinam amplexantis, primo intuitu, non omnino



## IV

consonum; attamen, si ad statum pristinum, cum Evangelio locum adhuc denegaret, recurramus, non plane alienum istum esse deprehendemus.

Non iniuriosus sum in academias scholasque publicas, sed potius eas non solum, cum Tullio pro mercatura bonarum artium, sed etiam cum d. Basilio pro *ψυχῶν διδασκαλίᾳ λογικῶν καὶ θεωρητικῶν παιδευτηρίοις* omnino habeo. Interim negari nequit, academias, doctorumque concilia saepiuscule obicem posuisse, vel saltem remoram fecisse salutari rerum diuinum cognitioni. Rem sane notioem esse existimo, quam ut quis studiose conquisitis historiarum documentis eam probatam a me expectet.

Fatum istud diuinæ veritati perquam iniquum, si modo ab isto tempore, quo ipse mystagogus, coelo missus, sanctissimæ religionis adyta, typorum velis tum adhuc obtensa, reuelare satagebat, repetere velimus, quem quaeso fugit, quanto inuidiæ oestro perciti insultarint summo diuinæ veritatis doctore viri synedrii, synagogarum rectores, alique primores gentis iudaicæ? Etenim quo splendidiore radiabat luce veritas a Christo proposta, eo maiores concipiebat flammæ infandum Pharisæorum sciorumque odium. Eo aliquando incensi in ipsos suos ministros, veritate doctrinæ Christi fere conuictos, perquam astute, teste Ioanne Cap. VII. comm. 48. 49. inuehunt, his verbis: *Μὴ τις ἐκ τῶν ἀρχόντων ἐπίστευεν εἰς αὐτόν, ἢ ἐκ τῶν Φαρισαίων, ἀλλ' ὁ ἕχθρος αὐτοῦ, ὁ μὴ γινώσκων τὸν νόμον, ἐπιμαρτύρατο εἰς αὐτόν.* Huic loco qualemcunque lubet impendere operam.

Non quidem hunc locum inter difficiliora referendum esse lubens fateor, sed verborum perspicuitate, si modo quod ad sensum commendabilis esset, se satis commendaret: ad cognoscendam vero hostium Evangelicæ veritatis execrandam versutiam, locum vix noui aptiorem, ideoque nec omni meditatione indignum. *Est quippe oratio inuectiua Pharisæorum in suos ministros, non minore astutia, quam acerbitate in Christum concepta, ut animos suorum, ad amplectendam Christi doctrinam fere pro-*  
pensos



*penfos; retraherent, et in obedientia continerent.* Horum enim  
 famulorum operam voluerant in Iesū comprehendendo, cum  
 animaduertent, omnem ferme populum in eo esse, ut eum pro  
 Messia, secundum promissionem diuinam nunc exhibito, ample-  
 cterentur. Nec ab ista opinione se ipsos esse alienos, ministri  
 haud obscure significauerant, suam a proposito Iesum capiendi de-  
 pulsū animum his verbis excusantes: Nunquam sic locutus est  
 homo, ut hic homo. *illo impudenter alii dicitur motu iustifi-*  
*no.* Ambiguum itaque suorum mentem perspicientes Pharisei,  
 non absque omni eos increpatione excipiunt: Numquid et vos  
 seducti estis? regerentes, cautione tamen adhibita, ne nimia eos  
 austeritate offenderent, et animos, in biuio quasi haerentes, alic-  
 miores redderent. Correptionem itaque temperantes vi argu-  
 mentorum, ab honesto ductorum, eos obtundere omnem mouent  
 lapidem. Duobus vtuntur: altero, a defectu assensus Primorum  
 et Phariseorum; altero, a vili sectatorum conditione, quorum  
 applausus Christo auctoritatem conciliare prorsus nequeat, petito.  
 Pharisei hic cum suis satellitibus expostulantes primum pro-  
 uocant ad *ἀρχόντες*, principes Iudaeorum. Per hos non nisi vi-  
 ros synedrii, in sensu complexo, tanquam collegium iudiciaria po-  
 testate praeditum, consideratos intelligi, totus sum persuasus. Neque  
 haec esset res multae indaginis, nisi vsus doceret, vocem  
*ἄρχόντων* non vbiuis esse vnus eiusdemque significatus, cum,  
 praeter Synedrii membra, eadem voce etiam praefecti synagoga-  
 rum indicentur: synagogas vero et synedrium non esse confun-  
 denda, me monitore vix opus est.

Synagogarum enim erant quamplures: Synedriorum autem

A 3 non

a) Vocem, *ἀρχόντων*, exacte respondere hebraeo *נָשִׂים*, quod synedrii Praefidem  
 s. Praefectum denotabat, manifestum est. Cum vero hac ratione sic nomen  
 dignitatis superioris, cum C. SCHOETGENIO in Horis Hebr. et Talm.  
 p. 814. omnino credendum est, titulum, qui primo tantum vni tributus erat,  
 postea multis concessum fuisse. Hinc et nobis *ἀρχόντες* sunt totius Synedrii  
 membra.



## VI

non nisi tria fuisse legimus; magnum scilicet LXXI. constans iudicibus; minus XXIII. iudicum; et Triumviratus: nomen tamen synedrii tanquam dignitatis vel maxime priori competere in confesso est. <sup>b)</sup>

Synagogarum locus erat vbiuis locorum, vbi Iudaei degabant: Synedrii sedes, illius quippe magni κατ' ἐξέχην ita dicti, tantum erat Hierosolymis, donec circa vergentem politiae iudaicae statum etiam synedrio alio migrandum esset. Et quae denique praecipua vtriusque collegii est differentia: Synagogae erant confessus academici, siue scholae publicae, quas aperiendi facultatem habebat omnis כר siue magister, legitime promotus: Synedrium autem erat confessus iudicialis, tanta pollens auctoritate, vt in sacris aequae ac politicis causis pronunciaret. Verbo: erat Senatus totius regni.

Hunc vero Senatum h. l. intelligi sub voce ἀρχόντων, vel sola causae hic diiudicandae consideratione euincitur, quae erat cognitio de Pseudopropheta. Atque ad hoc respexisse creditur Saluator noster, cum teste Luca cap. XIII. 33. ita pronunciat: Non contingit, vt propheta pereat alibi, quam Hierosolymis. Vbi quidem simul acriter taxat, quod hanc ipsis, ad conseruandam religionem, concreditam iudicandi facultatem, iniustissima vstirpatione, in sanguinariam erga infontes rabiem, et insatiabilem προφητοκτονίαν, diuino iudicio vindicandam, conuerterint.

Hoc enim tum temporis potissimum erat quaestionis: Verusne an falsus sit Propheta Iesus, quem ex contemptu Galilaeam vocitabant? Voce populi, vi doctrinae eius atque miraculorum virtute permoti, semel iterumque ac saepius Propheta citatus erat. Pronunciabant ipsum προφήτην μέγαν Luc. VII. 16. Asserebant, illum esse ἀληθῶς τὸν προφήτην τὸν ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον Ioh. VI. 16.

Eandem

b) Huc refert Io. vorstius in Dissert. de Synedriis Hebraeorum §. 41. locum Matth. V. 22. vbi mentio fit τῆς κρίσεως et τῆ συνιδήσεως, [ea differentia vt posteriori plus auctoritatis tribuatur, quam priori. Ex quo apparet, Salvatorem appellasse tantum maius illud iudicium concilium συνίδησιν.



Eandem edebant confessionem in eo ipso momento, quo Phari-  
saeorum satellites ad ipsum capiendum aderant c. VII, 40. imo,  
pro ipso Christo quidam illum habebant, aliis tamen contradicen-  
tibus. comm. 41. 42. 43.

Hanc vero controuersiam dirimere, erat sapientum in syne-  
drio congregatorum. Haec res maximi momenti erat, ipsaque  
lege diuina serio commendata. Conf. Deut. XIII, 1-5.

At vero in nulla re minus Iudaeos fuisse attentos, quam in  
eo, ut a Pseudopropheta sibi cauere, defectio eorum nimis cre-  
bra affatim edocuit. Nec vnquam magis hallucinati sunt eorum  
sapientes, quam eo ipso tempore, quo Christus, in carne manife-  
stus, in medio eorum stabat visibilis. Nam ex peruersissimo iudi-  
cio illum adeo abominabantur, ut nec efficacia sermonum eius,  
nec magnitudine miraculorum, nec splendore virtutum, nec eui-  
dencia typorum et vaticiniorum de Messia, in Iesu Nazareno ab-  
solutissime terminantium, nec integritate officii, quo verum Dei  
cultum praecipere, restituere, seruare, omneque consilium ipsius,  
de salute generis humani exponere allaborabat, se tangi aut per-  
moueri paterentur, ad capiendum dignum, missis praedudiciis, sapien-  
tibus consilium. Tanta itaque synedrii erat caecitas, suamet  
quippe culpa, ut summo iure Christum, tanquam Pseudoprophe-  
tam, e medio tollendum concluderent, nil morantes saniora sua-  
dentem Nicodemum, quem ex vano hoc praedudicio fati redar-  
guisse credebant: E Galilaea non surgere Prophetam.

Principibus siue *ἀρχαι* sui ordinis socios nunc ipsi Pharisaei  
adiungunt, quippe quorum plurimos ipsius Synedrii membra ex-  
stitisse, ex hoc ipso confesio, cui interfuere, et Nicodemi exem-  
plo, probasse sufficiat. Pharisaei finem sibi praefixum habebant  
omnibus longe anteferri. In isthoc hominum genere, quid possit  
mens ambitionis veneno infecta, nil intentatum videtur reliquisse.  
Illi enim ut foli eminent, successione fecere, vnde etiam no-  
men sortiti sunt, ab omnibus tum natione, tum religionis pro-  
fessio-

e) Disquiritur circa *Φαρισαίων* nominis Pharisaeorum, verum, ut Hieronymus sentit



## VIII

fessione alias sibi aequalibus. Ambitionis itaque spiritu capti fessu ueriores vitae regulam, sub pietatis praetextu, esse sequendam statuebant. Veram enim pietatem, veraeque pietatis exercitium non superbos, sed humiles reddere homines, omnes norunt, qui Spiritu Dei, se regi, patiuntur: hi vero, suo se permittentes spiritui, pietatis specie alios fessisse contenti, sui solum existimationem, apud homines, obtinere studebant. Legis uideri cupiebant obseruantissimi, leuiticis potissimum ritibus pertinacissime inhaerentes, nouasque fere indices superaddentes obseruationes de decimis, creberrimis lotionibus et ieiuniis; phylacteria splendorum et fimbrias latiores gestabant, et quae sunt alia fere innumera. Hasque obseruationes, successu temporis, traditionum nomen, et praescriptionem antiquitatis acquisiuisse, ex sermonibus Christi, legem diuinam, veterum placitis longe postpositam, passim grauer vindicantis, intelligimus. Quo tamen se ueriores se exhibebant in seruanda lege, qua ad cultum typicum, et externam pompam, eo erant remissiores in meditatione legis, qua ad mores ueramque vitae spectabat sanctimoniam, quod ipsis grauer exprobrat iustissimus legis diuinae assertor Matth. XXIII. Haec uero

a  $\psi\alpha$  quod diuidere, rumpere, aut cum pluribus eruditorum a  $\psi\alpha$  quod pandere, explicare significat, docendat? Posterioribus caleulum addere uideatur Doctiss. CHEMNITIVS Harm. Euang. c. XVI. ad Matth. III, 7. p. m. 165. ut ira Phariseus idem sonet, quod explanator legis, quippe cuius interpretandi scientiam et auctoritatem sibi uindicabant. Nil incommodi habere uideatur haec etymologia. At insurgit acutissimus LIGHTFOOTVS non tam ab etymo  $\psi\alpha$  quam ab interpretatione suppeditata discedens, ex hac ratione singulari, quod etiam foeminae, exarbitrio et uoto Pharisaeorum fuerunt amplexatae, quibus tamen docendi interpretandique facultas non fuit concessa. Distos itaque uult Pharisaeos a separando separatis. Conf. Hor. Hebr. et Talm. p. 230. sq. Quamuis uero, inter hos magni iudicii uiros, iudex esse non auiam, tamen adducam, quid ad facile conciliandas eorum sententias faciat: Id fateor, sententiam Lightfooti Pharisaeos separando denotantis mihi, praeter altera, aridum; haec enim indicat, quales Pharisaei reuera sint, ista modo, quales haberi uoluerint. Conueniunt uero sententiae in significato uocis  $\psi\alpha$  quod, ut SCHINDLERVS in Lexico Pentaglotto probat, ueramque notionem admittit, et proprie quidem separandi, metaphorice uero declarandi s. interpretandi. Separare autem et interpretari conuenia sunt, secundum illud  $\pi\alpha\lambda\iota\delta\epsilon\delta\alpha\gamma\gamma\epsilon\tau\alpha\iota$ : Qui bene distinguit, bene docet.



eorum peruersitas ex supina oriebatur securitate, qua abrepti intimiorem *τὴν καρδιαν* sensum legis maxime moralis nulli curabant, sola externa obedientia, ad literam praecepti, leuissima mente, exacta, istam impleri, sibi vanissime persuadentes.

Hos egregie laruatos, qui scite depictos, probeque depexos noscere cupit, adeat, praeter multos alios, non vbiuis obuia de iis commemorantem Lightfootum in Hor. Hebr. et Talm. ad Matth. cap. III, 7, p. 229. sqq.

Horum vero assensu, tanquam pondere auctoritatis magistralis, Iesum desitutum et falsitatis arguunt, et odio contemtuque exponere omni nisu allaborant, in hunc modum argumentando: Omnis, qui credit doctrinae, quam nec vllus ex principibus s. viris magni Synedrii, quorum est, de rebus fidei cognoscere, nec vllus ex Pharisaeis amplectitur, quorum, praeter legis obseruationem maxime rigorosam, tam conspicua est pietas, is errat in obiecto fidei: Atqui vos creditis eiusmodi doctrinae etc. E.

At vero non vis, sed dolus, huic argumento inest. Prior enim propositio duplici laborat vitio: Primum auctoritatis humanae, quae in rebus fidei plane non locum habet, praeciuicio. Praeciuicium enim auctoritatis humanae impedit iudicium veritatis diuinae. Alterum vitium est in assertione vniuersali, quam tamen particularem ipsa comprobabat experientia.

Auctoritas synedrio, tanquam confessui iudicium diuinae ordinatione constitutorum, non omnino denegatur, si modo Deo subditum esse non detrectet: Sine vero homines potestate a Deo accepta abutantur, idque potissimum in rebus religionis et fidei, decernentes quippe non ex praescripto verbi diuini, sed vel ex dictamine rationis corruptae, vel ex principiis ad statum huius seculi compositis, tum sua se auctoritate ipsi reddunt indignos, dignos vero, quibus illud Apostolorum inculceretur; Obedire oportet Deo magis, quam hominibus.

Deinde vniuersali, qua utebantur, assertioni, neminem ex principibus, vel ex Pharisaeis in Christum credere, ipsa reclamabat experientia. Nam ipse Nicodemus doctrinae Christi, quam

B

quon-



X

quondam noctu imbiberat, erat addictus, vir vtriusque dignitatis, qui huic ipsi quoque intererat concilio sanguinario, non tamen ut auctor et suavor, sed ut rector animorum odio aduersus Christum ita occupatorum, ut nec, quid scripti iuris, nec, quid instrae aequitatis sit, perpenderent. Neque iam quidem audent Christum aperte et directe defendere, interim politica tantum vsus ratione legem scilicet receptam non condemnare quemquam inauditum, id tamen efficit, quod intentarum relinquere etiam timiditas non concedebat, ut scilicet totum concilium, non sine confusione, disturberetur. Neque vero hunc solum stetisse a partibus Christi, sed multos etiam ex principibus Iudaeorum, legimus Ioh. XII, comm. 42. quamuis Phariseorum exempla in Christum creditum omnino rariora fuisse, ex eodem loco cognoscimus. Interim iusta Cl. LAMPPI ad h. l. hic apponi meretur animaduersio: Dum hoc nomine gloriantur Pharisei, quod nemo ex ordine suo in Christum credat, cuius diuinam doctrinam ipsi captores experti fuerant, *in scelere laudem quaerunt.*

Et si vel maxime nullus ex primoribus, cuiuscuius sint ordinis, in Christum credidisset, num ex eo sequeretur doctrinae falsitas? Plane nego, ipsis Christi precantis insistens verbis: Gratias ago tibi, Pater, Domine coeli et terrae, quod abscondisti haec (scil. quae ad mysterium regni gratiae spectant,) a sapientibus et prudentibus, et reuelasti ea paruulis. Luc. X, 31. item effato Apostolico: Non multi sapientes secundum carnem non multi potentes, non multi claro genere nati; verum, quae stulta erant, secundum mundum, delegit Deus I Cor. I, 26. 27. Haec ad primum argumentum sufficiant.

Novo argumento, eoque iniquissimo, in ministros irruunt, alto supercilio sectatores Christi contemnentes, immo diro anathemate proscribentes.

Principibus et Phariseis a Consortio Christi, perversissima gloriacione, prorsus exemtis, non nisi plebem, plebem legis plane ignaram restare, asserunt. Ita pronuciare legis diuinae peritos, quis credat? Lex diuina, quae vbiq; dilectionem praecipit, num etiam



etiam alterius permittit contemptum? An vero lex sui custodes finit esse exleges? Qui legis gnarus est, haec sane nunquam conciliare poterit. Pharisei, se posse, putant: hinc legis ignarissimi. At vero mysterium iniquitatis hic latere deprehendimus. Istud nobis recludit Christus, libere prolocutus ad Phariseos: Bene reiicitis praeceptum Dei, ut constitutionem vestram seruetis. Marc. VII, 9. Sic itaque summa lex ipsis erat, non quod Deus praeceperat, sed quod ipsi constituerant. Non multum legem moralem morabantur, sed ceremoniis Leviticis, iisque non solis, sed suis statutis mirum in modum adhaerentibus, immerse, sibi soli sapere putabant, reliquos omnes, tanquam **הארץ** **ע** populum terrae, homines plebeios, abiicientes. Sic ex ipsorum mente et inueterata consuetudine norio legis accipienda est; si vero, in sensu saniori, legem pro norma pie viuendi, a Deo nobis praescripta sumamus, causam ignorantiae deprehensae in populo, in ipsos doctores, qui legem non fideliter docuerant, recidere necesse est. Id quod grauius in illis reprehendit Christus: Vae vobis, inquit, legisperitis, quia sustulistis clauem scientiae. Luc. XI, 52.

In contemptu solo non subsistunt, sed ad vnum omnes, qui non sunt sui ordinis focii cultoresue complectentes, diris deuoent: **ἐπιμαρτύροισι**, execrabiles sunt. Graecorum **ἐπιμαρτύροισι** exactissime respondet voci Hebraeorum **אָרָר** <sup>d)</sup> id quod ex versione LXX. interpretum, Deut. XXVII. et huius legis allegatione a Paulo ad Gal. III, 10. 13. facta videre est.

Quod itaque solius dei erat, in lege sua sancta, iusta et bona aduersus praeuaricatores pronunciantis, id sibi arroganter sumunt ipsi temerarii legis violatores, execrantes, non **κατάρας** **ῥήματα**, homines merito suo execrabiles, quales describit Petrus in Epist. postter. c. II, 10 - 14. sed quos non caeca obedientia suis con-

B 2 fitu-

d) Affinitas harum vocum etiam auribus se statim probat, modo ad vtriusque radicem recurramus, quae in Hebraeo est **אָרָר** execratus est, in graeco **ἀρά** preces, it. dirae, vnde compositum **κατάρας** et decompositum **ἐπιμαρτύροισι**, maledictus.





stitutionibus se submittentem intelligebant. Omnes Christum audientes solide erudiebantur, se esse *ὕπὸ κατάρα*, execrationi obnoxios, quamdiu operibus legis, cui perfectam obedientiam praestare non possent, considerent: ideoque ut verbum suum audirent, Christus instantissime admonebat, invidis comprobans, argumentis, se illum ipsum esse, qui non solum ab eo tempore, quo maledictio legis ob praeviationem protoplastorum inualuit, et in omnes eorum posteros unquam futuros fauere coepit, clementissime erat promissus in salutem generis humani, sed etiam in hunc finem nunc exhibitus, ut fieret *ὕπὸ ἡμῶν κατάρα*, dum scilicet nostra in se suscipiens peccata legi se subiecit, et, ut Deo irato fieret satis, execrationem omnem subiit, poenasque peccantibus dictas summa sua ad mortem obedientia in cruce perfoluit. Et hoc modo *χρῆσις ἡμῶν ἐξυψώσατο ἐν τῆς κατάρας τῆ νόμῳ* Gal. III. 13. Isque actus expiatorius quamvis tum, cum Christus verbum suum, tanquam verbum vitae, serio commendaret, in conspectu hominum nondum erat consummatus, tamen coram Deo, qui omnia vno cognitionis ictu perspicit, ipsa reconciliatio in Christo ab aeterno facta suo omnes, omni tempore homines valore adiuvit, et maledictionis legis exemit. Adeoque qui in Christum, summum illum Prophetam, verumque Messiam credebant, et per fidem reconciliationis, in verbo Christi oblatae, beneficium acceptabant, non modo non erant *ἐν κατάρα*, sed potius aeternae salutis certissimi. Ita vero bruta Phariseorum erant fulmina. Eo vero insaniae processerant imperiosi illi homines, ut non solum legis vere ignaros abiectionissime tractarent, sed etiam illos, qui modo eorum institutione non utebantur, *עַם הָאָרֶץ* *עַם* populum terrae appellarent omnes, qui *תלמידי חכמים* discipuli sapientum esse detrectabant. <sup>e)</sup>

Quivis

<sup>e)</sup> Et Iudaeis hodieque illud *עַם הָאָרֶץ* solenne est, quo Christum crucifixum, eiusque nomen profluentes contemnunt. Confer, LIGHTFOOT, in Horis et LAMPII comm. in h. l. Huc refer etiam illum locum I Cor. IV. 13. ubi Paulus de suo reliquorumque Christi Apostolorum extremo, apud homines huius seculi contemtu conqueritur, se haberi, *ὡς νεκρὰ ὑπόματα καὶ πύργων ὑψηλοῦ*, i. e. nihil naucique tanquam purgamenta et vestigiorum pulvis.



Quis vero sapientior his sibi sapientibus facile animaduertit, qualis eorum fuerit causa, quam non tam argumentorum pondere, quam execrationum fulmine, quod in contra sentientes vibrabant, tueri sustinent. Interim si his etiam execrationibus formam argumenti aptare velimus, hoc modo procedet: Quicumque doctor non nisi legis ignaros, eaque propter maledictos, habet sectatores, ille aliis legis doctoribus, in summa auctoritate, positus, neutiquam est praefendus. Atqui Christus etc. E. Quis itaque non videt, hoc argumentum carere omni virtute, non scilicet ad eliciendam veritatem, sed ad solam auctoritatem distantium tuendam compositum.

Et hic erat totus disputationis, vel potius increpationis scopus, quo obtento nulli curabant doctrinam Christi, ob id solum eliminandam, quod traditionibus ipsorum verbo Dei et praeter necessitatem superaddidis, et contrariis, non conueniebat.

Talis itaque erat nascentis ecclesiae status tempore Christi. Sicut enim partum naturalem variae *adversae* comitantur: ita veram ecclesiam contemptus, odium, contumacia, maledictio. Nec unquam mitius fatum experta est, si superiora recolamus secula. Longius quidem hic filum ducere paginae vetat angustia, neque in re notiore proluxa demonstratione congestisque historiarum documentis opus esse reor.

Interim non possum, quin commate hoc Iohanneo, pro viribus, exemplo recorder *Lipsiensis Academiae*, ante ducentos abhinc annos, tenebris papalibus adhuc misere immersae et effascinatae. Nihilominus sibi egregie sapere videbantur tum temporis doctores, longe spretis purioris doctrinae cultoribus, dignisque eorum quidem iudicio, anathemate. Lux Euangelii, Lutheri ministerio, terris Saxoniacis primum oborta, quam late postmodo per alias tum Germaniae, tum extra Germaniam, prouincias, radios suos sparserit, hic nihil attinet dicere, id modo paucis commemoraturus, non aequae facile in oris Misnicis, excepto tractu montano, quem HENRICVS PIVS obtinebat, locum inuenisse.



Illustrari quidem coepit etiam Lipsia, primis quasi veritatis scintillis in cordibus multorum conceptis, Disputatione ibidem inter Eccium et Lutherum habita, intercedebat autem viginti annorum diluculum, priusquam sol veritatis emergeret, et clara dies appeteret. Nam non principes, eruditos et primores populi, sed maximam partem ciues et plebeios, quos etiam diuturna persecutio pressos in annalibus legimus, aurem Euangelio praebuisse, constat. Maxime restitit ipse Dux GEORGIVS, Princeps, si solum reformationis momentum excipias, supra omnem laudem positus, et quamuis ipse plurimos in papatu pernoscere errores, ideoque *cogitationes principe omnino dignas*, vt Lutherus de eo amabat loqui, *favebat, si sua proferreret, secus vero, si aliis obediret*, tamen adduci non potuit, vt causae Lutheri faueret. Nec fenatus vrbis erroribus inueteratis nuntium mittere volebat, sed feuerissime in ciues suos, qui scripta Lutheri legebant, conciones Euangelicas audis, vbi modo poterant, auribus excipiebant, vel quouis modo veritati adstipulabantur, animaduertens, quam plurimis causa exilii, multis etiam dispendii vitae et honorum extitit. Pariter etiam monachi diuersorum ordinum, cum concionatoribus vrbis, nec scriptis contumeliosis, nec clamoribus inuestiuis, nec machinationibus vidoloque structis quicquam intermittebant, quo cursum Euangelii, quantum in se esset, impedirent.

At vero lucidum tandem has tribulationes sequebatur interuallum, cum citra omnem spem atque opinionem terrarum Misnicarum potiretur pientissimus Dux HENRICVS, mortuo, non relicto liberis, fratre GEORGIO. Is vt ante iam puriorem doctrinam in corde suo, suisque in locis exiguo tum adhuc circulo circumscriptis, auide exceperat, ita et nunc ampliolem, quam ipsi summus rerum arbiter dederat, ditionem veritatis luce collustratam percipiebat. Omnibus itaque eo intentus viribus, diuino insuper adiutus auxilio, in purgandis ecclesiis vbiq; locorum felicissimos faciebat progressus.

Solam fere Lipsiam „experiebatur, duriolem, non intelligentem,



tem, quod Deus per pii huius Herois manum dare vellet salutem. Urbis senatus, quamvis non aperto repugnaret Marte, tamen variis vtebatur tergiversationibus, priusquam victas veritati daret manus. Omnes vero Acedemia superabat sua pertinacia, maxime Ordo Theologorum, quos tantum veritatis Euangelicae inuaserat fastidium, ut quamvis refellere non valerent, tamen recipere nollent. Etenim aut vitam in silentio transigere, aut, si quid erudito dignum auderent, in lectione sententiarum Lombardi tempus terere malebant, quam sacris vacare literis; inutilibus quaestionibus defatigari, et scholasticorum tricis confundi, dulcius ipsis erat, quam e verbo Dei ad salutem erudiri; iugi pontificii ad stuporem patientes Christi, libertatis Euangelicae assertoris, imperium stolidè aspernabantur. Calamum arripientes, non nisi conuicia se meditari posse, disputantes, nil nisi errores imbibisse, docebant. Omnia vno solerissimi sui temporis scriptoris, Peiseri quippe, complectar testimonio, ita concepto: Caeterum, quamvis ingens virium incrementum Lipsiae pietas et disciplina christiana haberet, magno plebis concursu ad templa et conciones factis, pluresque in dies e populo doctrinam veritatis amplecterentur, et ex oraculis diuinis rectius edocti errores Pontificios deponerent: tamen *primores in Academia, qui constantiae et grauitatis esse ducerent, si quam diutissime in prauitate Pontificia perstarent, sero admodum, fanaticis opinionibus depositis, veritati cesserunt.*

Sed tandem cesserunt. Cesserunt non auctoritati humanae, sed veritati diuinae. Cesserunt non vi adacti, non dolo praeuenti, non celeritate oppressi, sed partim integritate causae conuicti, partim pio aliorum exemplo moti, nam his postremis vsu veniebat, quod nubem testium (*ὡς ἄστρον*) non solum ex plebeis, sed ex primoribus populi sibi circumpositam haberent. Illi vero pauci, qui veritati cedere non volebant, Lipsiam liquerunt, libere discedentes, non pulsi.

Dies, quo publice, coram consiliariis Ducis, quibus cura reforma-



## XVI


formationis commissa fuerat, Academia per delectos, profitebatur, se veritatem Euangelicam amplecti, erat ob nomen Clarae, quo in factis insignitur, dies boni ominis, perpetuaque dignus memoria.

Et cum in hunc ipsum finem, seculo iterum in luce Euangelii exacto, annuente AVGVSTISSIMO NOSTRO AVGVSTO, quem cum SERENISSIMA CONIVGE, suo tempore iterum, vt ex animo precamur, LAETA MATRE futura, cumque VNIVERSA REGIO ELECTORALI STIRPE, Deus clementissimus, sub praesidio alarum suarum, factum tectumque, quam diutissime, conseruet! laudes Deo decernat publicas *Lipsiensis Academia*, alma tot filiorum mater, illustri hoc suo exemplo innumeris alios extimulat. Ego quidem prouolutus ad solum eius, qui omnia gubernat, pro perpetua purioris doctrinae, etiam in hac Academia, conseruatione, integerrima mente, supplico. Nunquam huic celeberrimae scholae deficiant viri omnibus artibus, elegantiori doctrina, viuendi prudentia, docendi dexteritate instructissimi, et, quod primum erat atque praecipuum, vera pietate conspicui, et piae veritatis assertores constantissimi.


Et ad TE tandem redeo, Praestantissime WEISI, ingenuum huius Academiae filium, ornamentumque eruditorum, qui, TVIS iamiam clarus meritis, mea sane laude clarior non redderis: redderis autem clarior tempore ob claritatem euangelii restitutam, Academiae singulariter solenni, publico Theologorum testimonio, qui nouo TE augeat honore, aditum TIBI pendentes ad summum emergendi fastigium, in quo Doctores ecclesiae constitutos videmus. Induat etiam TE Deus noua virtute, augeat in dies egregias animi dotes, confirmet corporis vires, benedicat sacris laboribus, aperiat, vt os TVVM vera sapientia, in explananda lege et morum et fidei: ita etiam corda TE audientium, non plebeciorum et paruulorum solum, sed etiam primorum populi, vt vniuersum gregem in Christum redeuntium, depulsis ignorantiae nebulis, insigniter eruditum videas, et TE ipsum serues, et alios. Vale. Dabam Dresdae d. XXVI. Augusti  
CJ0 1300 XXXIX.













102 183

ULB Halle 3  
004 303 75X



f

sb.

VD 18


VD 17











28.

LVCVBRATIONEM THEOLOGICAM

IN LOCVM IOH. VII. COMM. 48. 49.

INSTITVIT

ET

VIRO

PLVRIMVM REVERENDO, AMPLISSIMO  
ATQVE DOCTISSIMO

DOMINO

M. CHRISTIANO WEISIO

AD AEDEM NICOLAI, QVAE LIPSAE EST, DIACONO  
CVM IPSI

DIE XXVI. AVGVSTI MDCCCXXXIX.

MENSE, OB REFORMATIONIS MEMORIAM  
ALTERO SECVLO EXACTO

ACADEMIAE LIPSIENSI  
SINGVLARITER SOLENNI

L I C E N T I A

AD SVMMVM THEOLOGIDOCUTORIS GRADVM

A D S C E N D E N D I

A

SVMME VENERANDO THEOLOGORVM  
O R D I N E

EX MERITO CONCEDERETVR

EX AFFINITATIS CONIUNCTIONE

G R A T V L A T V R

M. ADAMVS GRENZIVS

DRESDAE AD AEDEM CRVCIS DIACONVS  
SOPHIAE H. T. CONCION.

LIPSAE

EX OFFICINA LANGENHEMIANA.

27.